



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Colmannus Mart. 13. Octob.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

642 VITÆ SANCTORUM. 13. Octob.
Laureaci mitrâ sibi devinxit, &c in solium
renuentem extulit. Hoc deinde cùm fu-
ria Decianæ deturbassent. Roinam abiit;
mox tamen Xysto II. Pont. Max. aucto-
re rediit, & viginti ipsos annos munere
suo cum summâ laude est functus. Sub
hæc in mentem venit, patriis etiam terris
operam suam locare. Et forte Evilasius
illuc Prætor Christianam pietatem op-
pugnatum ibat. Tanto amplius festinan-
dum sibi ratus illico advolavit, & suppe-
tias laborantibus in tempore tulit. Sed
dum in primâ fronte acrius pugnat,
inter primos gladio cadit. Post hanc ta-
men tam nobilem Hostiam propitia vi-
ctoria semper posteâ cum Christianis
stetit. Dices suum etiam Pannonicum
Decium obtigisse. Ex Bruschio.

*Quid prodest quemlibet hodie auro, gem-
mis & purpura contagi, si cras contingat
eum nudum & reum ad inferni supplicia
pertrahi? Quid juvat, si quis hodie ter-
ram faciat sub pedibus suis tremere, &
cras mendicus & pauper de hoc mundo com-
pellatur exire? S. P. Dam 1. 7. ep. 15.*

S. COLMANNUS MART. 13. Octob.

COLMANNUM Regii sanguinis ju-
venem & juventæ ayo suo facile
principem genuit & educavit Scotia,
hospitem Bojaria vedit & Austria. Ha-
buit tamen hæc hostiliter potius quam hos-

13. Octob. VITÆ SANCTORUM. 643
hospitáliter. Etenim quod genus & vir-
tutem, sub peregrino dissimulasset, jus-
sique valere & patriâ & opibus patriæ,
sacram Hierosolymæ urbem in votis ha-
beret, diu jam dæmoni malo ægrè facie-
bat. Hic igitur contrà ægrè **COLMANNO**
facturus id machinatur, ut innocentia
sub proditoris nomine accusetur. Capi-
tur, carceri datur, torquetur, uritur,
laceratur, damnatur, & ex aridâ arbore
ipse flos juventutis suspenditur. Hic de-
mùm pro innocentे crebra miracula pe-
rorant. Et integritatem animi sesquian-
num sub dio pendens integrum corpus-
culum loquitur. Meruisse canos crescen-
tes capili & ungues testantur; clamat san-
guinis è vulnera numquam non recens. Ip-
sa, quam emortuam diximus, arbor in
frondes suas reviviscens non debuisse
mori *Colmannum* ait. Totestibus tandem
convicta Austria vertit sententiam, ab-
solvit *Colmannum*, & se damnavit. Sed &
hic tot honoribus post, quot suppliciis
antè maestatus Austriam jam absolvit. Ex

Ditmaro, Stabio, & VV. Lazio.

Quid prodest, si homines laudent, & con-
scientia accuset? aut quædebet esse tristitia,
si omnes accusent, & sola conscientia nos li-
beros demonstret! si nobis est testis in cœlo,
testis in corde, dimitte stultos foris loqui
quod volunt. S. Greg. l. 8. Registr. c. 45.

S f 2

S. FOR-